

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Possel

**ORATIO || DE INCLY=||TA VRBE || ROSTO=||CHIO.|| Scripta à IOHANNE
POS=||SELIO PARCHI=||MENSE.|| Cum Elegia Henrici Mollerii || Hessi.||(AD
INCLYTAM || CIVITATEM, ROSTO=||CHIVM, ELEGIA.||)**

Wittenberg: Schwenck, Lorenz, 1560

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1009496883>

Druck Freier  Zugang





H. 43.

M. 42. 43. 44.



ORATIO

DE INCLY-
TA VRBE

ROSTO-

CHIO.



Scripta à IOHANNE POS-
SELIO PARCI=

MENSE.

Cum Elegia Henrici Mollerii
Hessi.

VVITEBERGAE EXCVDE-
bat Laurentius Schuenck.

Anno Christi Novembris

MDCIV.

1560.

Anno Domini


MDCIV.

Clarissimo viro, D. Joachimino
Webersnow, mobilium genis
doctrina & iurisprudenz
Illustri. Principi Moeren

EPIGRAMMA

R Ostochio nomen si copia blanda rosarum,
Posselij referunt ceu monumenta, dedit:
Non equidem miror præstantes carmine Musas,
Vrbibus hunc alijs præposuisse locum:
In quo grata Deo canerent, magnoscet uerarent
Herōas tacita nocte situq; premi.
Namq; fatigatas choreis studioq; canendi,
Nectareo uegetat suavis odore rosa.
Si tamen hos urbi flores mitissima tellus
Educat, & largas sponte ministrat opes:
Cur studiosa cohors certatim ferta Chytræo
Non parat, & doctas ornat amica comas?
Nam licet innumeras habeat Respublica laudes,
Non habet hoc maius, Rostochiana decus.

Iohannes Schosserus Poëta
Laureatus F.



HENRICI MOLLE-
RI HESSI, AD INCLYTAM
CIVITATEM, ROSTO-
CHIVM, ELEGIA.

Inter Saxonicas salue Rosa nobilis urbes,
Luxq; Megalburgi summaq; fama soli.
Rostochium maneas sic inuiolabile, de te
Ut mihi cantanti carmina pauca faues:
Per speciosa tuæ fastigia fortis iturus,
In laudes feriam Musica plectra tuas.
Sed tua quo potius præconia nomine pandam:
An tua principium gignet origo mihi:
Regales quo primus enim Fridericus habenas
Tempore, & imperij Cæsar habebat opes.
Natus ut ante duo terdenaç lustra parente
Virgine, & ante decem secula, Christus erat.
Tunc tua felices se gloria coepit in auras
Tollere, radices tunc tuus egit honor.
Anne Pribislai dabit id mihi gratia, qui Rex
Ultimus ex Heneta stirpe domoc; fuit:
Quiq; tuam primus conclusit moenibus urbem,
Nomen ab Idalijs imposuitq; rosis:
Nil refert, an ab hoc, uel ab illa, exordia ducam,
Immortalis honos est ab utroq; tuus.
Nam centum potuisse quater decurrere messes,
Tutaricq; suos Marte togaç lares,
Est sublime decus: decus est quoq; nobile, Regem
Stemmatis autorem posse referre sui.

A ij Quid

silabodigit IV

Quid iam succedet sum longæ maximus urbis
Ambitus & effusi circuitusq; loci?
Quam latè pateas, non est mihi dicere promptum,
Hoc equidem possunt templa probare nouem,
In te quæ grandi nituntur ad æthera mole,
Turribus & pinnis conspicienda suis.
At quo te meditor studiosius, obuiā sponte
Hoc se plura mihi commemoranda ferunt.
Et dubium faciunt, quo quodlibet ordine dici
Debeat: hæc primas & simul illa petunt.
Quo tua propugnacla loco, fossasq; reponam,
Et circumfusi terga profunda soli?
Quo fora tot, quo tot portas, & strata uiarum?
Quoq; Magistratus limina sacra tuis?
Et quo magnificas, quæ ceu palatia fulgent
Coctilibus saxis ædificata, domos?
Quo mixtum lupuli folijs & fruge liquorem,
A quo non parui nomen honoris habes?
In te cocta Ceres quas non est grata per oras,
In quas non plenis mittitur illa cadis?
Quo fontesq; laçusq; tuos, bibulosq; canales,
Qui plateis fundunt flumina larga tuis?
Quo uirides hortos, Cererisq; feracia rura,
Inq; suburbanis prædia amoena locis?
Et quo Varnouium, qui te rigat amne perennis?
Et quo terdenas, quas agit ille, molas?
Quo uarias, omni quas fert tibi tempore, dotes
Fluminis hinc proprij fluxibus, inde maris?
Dimidiæ muros allabitur urbis, & ipsam
Tam rapidis urbem permeat ille uadis.
Ut glacialis

Vt glacialis hyems agiles non alliget undas,
Quæ patula cygnos in statione fouent.
Diuite largitur diuersos gurgite pisces,
Atq; tibi hinc uarias indeq; portat opes.
Nam dulces fassis ubi miscet fluctibus undas,
Immensæ portum commoditatis habet.
Mercibus unde graues uelut utilis aura carinas
Auehit ad uarias per freta longa plagas.
Sic plenas etiam naues adducit eodem,
Et fortunatas ciuibus auget opes.
Hactenus an retuli, quod non sit amabile, quicq;
Aut quod non homines utilitate iuuet?
Felix Rostochium tot rerum sorte bonarum,
Inficiat flores nulla pruina tuos.
Qua nunc uoce cani reliqua ornamenta merentur,
In te quæ radio splendidiore nitent?
Nempe Magistratus regimen sociale, quod urbis
Optima pars, exors improbitatis habet;
Et leges ad honestatis munimina latæ,
Ad conseruandos iusticiæq; gradus.
Obsequiumq; decens, atq; obseruantia plebis
Recta, quibus lectos afficit illa patres;
Qua legum custos, prudensq; uigilq; senatus;
Ex quo, cum grauibus laude fideq; uiris,
Elucent rutilo præstantes nomine bini
Doctores studij Bartole clare tui;
Cardine felici Respublica uoluitur, in qua
Cultores præsunt docta Minerua tui.
Sic ea iusticiæ, sic legum germine floret,
Iusticiæq; decus iusta fouenit;

A ij Vt tua

Vt tua Rostochium: Leges ubi rite senatus,
Iusticiæq; graui mente tuetur opus.
Infragilicq; regens illæsum uoce tribunal,
Censet inæquali cognitione nihil.
Et uigili scrutans externos lumine mores,
Arbitria ad legem dirigit æqua Dei.
Et pœnis santes, delictaq; sæua coercet,
Legitimi quibus est pax uiolata status.
Sic non colluuies, sed honesta frequentia plebis,
Est in præsidijs urbs generosa tuis.
Exercetq; suas, quas usus postulat, artes,
Et quibus hæc hominum uita carere nequit.
Sic eadem, procerum mores imitata, gubernat
Simplice priuatas in probitate domos.
Nec sinit ut dictis temeraria lingua proteruis
Polluat, aut factis tetra libido, lares.
Quod si congreditur, dapibusq; indulget honestis.
Et sacra concessis festa diebus agit,
Non, ueluti Lapithæ, turbis conuiuia miscet,
Sed moderata suæ colloquia artis amat.
Hac ratione tuos iungit concordia ciues,
Illorumq; graui pectora lege mouet.
Vt iustumq; piumq; colant, legesq; pudoris,
Quæ sunt civilis prospera uincula status.
Indigenaq; tuos titulis & laude coronant,
Fortunæq; manent fulcra beata tuæ.
Vt tua libertas uirtute, labore, fideq;
Parta, sit æternos inuiolata dies.
Et necq; seditio, necq; uis inimica penates
Dissipet, aut ferro lædat atroce, tuos.

O ite

O iterum felix tot rerum sorte bonarum,
Legibus, indigenis, præsidibusq; potens.
Hæc inter summas te gloria collocat urbes,
Laude quid hac ingens pulchrius orbis habet?
In qua præclarè tot ciuica munera florent,
Vrbs placet, urbs Clarijs est ea digna modis.
Aurea secla alij uenentur in urbe Platonis,
Non in ea sacrīs uatibus esse licet.
Dumq; in te similesq; tui, secedere possunt,
Non in ea sacrīs uatibus esse libet.
Hæc quæ te magnis solenniter urbibus æquant,
Reddidit imparibus uix Elegia modis.
Illa, quibus uincis multas feliciter urbes,
Incq; corusca potens inferis astra caput:
Dexter egere monet grauiore indagine Phœbus,
Sed mea non iam sat Musa uigoris habet.
Exiguum uibrare potest mediocriter ensem,
Nor gerit imbelli grandia pila manu.
Nuncia diuinæ quod enim non diffona legi
Per tua constanter templa sonare facis.
Quod cœleste sacro ueneraris pectore numen,
Et fundis rectas, quo decet, ore preces.
In te quod retinet dulces Ecclesia nidos,
Sicut in æquoreis Halcio parua uadis.
Et quod Olympiadæ, cum centum messibus, octo
Hospitio Musis officijsq; sœues.
In te dum florens uarijs Academia donis,
Artibus & linguis & pietate uiget.
Vnde salutares Ecclesia sancta ministros
Euocat, & celebres Curia iuncta uiros.

An

An tenui possint mémorari talia canna;

Imò uix satis híc buccina grandis erit,
Andinus quali deduxit carmina uates,

Horrida dum Phrygij concinit arma Ducis.
Si tamen his placidas præberes cantibus aures,

Attulit in laudes quos mea Musa tuas.

Huic equidem posses immittere calcar, ut olim
Per titulos cuperet plenius ire tuos.

Mæonijsq; tuas filis intexere cunas,

Et tua per certos facta referre pedes.

Vt modo Posselius numeris dedit ista solutis,

Splendida Gymnasi fama iubarq; tui.

Tu placido nostris allabere remige coepitis,

Et Musas dulci perge souere līnu.

Sic Deus, exubiq; sine quo ponuntur inanes,

Vtiliter nullum quo sine cedit opus,

Sepiat ille tuam sanctis custodibus urbem,

Tecq; salutari coelitus imbre riget.

Vt, quod nomen habes, sis arbor amoena rosarum,

Semper, Pæstanas exuperesq; uices,

Vtcq; instar uiridis tua gloria floreat horti,

Cui uis nulla suas depopuletur opes,

Salue Rostochium, Rosa florentissima salue,

Vtcq; Rosas possis semper olere, Vale.

FINIS.

CLARIS,

CLARISSIMIS
VIRIS PRUDENTIA ET VIRTU-
TE PRAESTANTIBVS, D. CONSV-
libus & Senatoribus Inclytæ Republicæ
Rostochiensis, Dominis Suis, S. D.
IOANNES POSSELIUS.



INGVLARI DE LIBERATIO-
ne & graui iudicio in Attica Repu-
blica, quæ non modo opibus & poten-
tia, sed etiam prudentia, literis, & om-
nibus ingenuis disciplinis, cæteris
Vrbibus antecellebat, lege sancitum erat, ne θρησκεία,
hoc est, nutricādi & fouendi officia, à filio, Seni pa-
tri redderentur, qui filium ad bonarum literarum
studia non adhibuisset. Quod Atheniensium insti-
tutum etsi fortē quibusdam inhumanum, & à pie-
tate parentibus debita alienum uideri potest, ta-
men prudentibus & iudicio certo rem ponderan-
tibus fatendum est, honestum & ciuili hominum
societati in primis utile & salutare fuisse.

Parentes enim, qui per se & dignitatem & uti-
litatem literarum non uidebant, ea lege excitaban-
tur, ut filios suos, antequām per ætatem alia ciuilia
onera ac negocia obire possent, erudiri, & bonis ar-
tibus ac disciplinis institui, curarent.

B

Sciebant

Sciebant enim Viri prudentes, huius legis atque
thores, literas plurimum prodesse, tum ad priuatam
vitam recte instituendam, tum ad iudicia tenenda,
ad ciuitates regendas, Denique ad omnes uitae par-
tes feliciter gubernandas.

Etsi autem hi bonarum artium fructus, quos
spectabant Atheniensium legislatores, longe utilissimi sunt, & omnium honestorum parentum amicos
maxime inflammare debent, ut liberos suos
bonis literis & disciplinis instituant: Tamen alia
adhuc grauior causa est, propter quam nos dicimus
literas discendas esse, videlicet, salus Ecclesiae
Dei, cuius Doctrina libris Prophetarum & Apo-
stolorum comprehensa, nec legi, nec intelligi, nec
dextre explicari, nec denique ad posteritatem propa-
gari, & contra Haereticos defendi, sine literis & ar-
tibus, potest.

Hic tantus & tam necessarius omnium studio-
rum usus, & Atheniensibus & omnibus Philosophis
ignotus fuit. Quare pro tanto beneficio, omnes
pij toto pectore Deo gratias agere, & honestas
disciplinas amare, colere, & omnibus officijs
fouere debent.

Ego, ut meæ obseruantiae erga hanc Vrbem,
quæ Ecclesiae & literarum studijs hospitium præ-
bet, publicum aliquod testimonium extaret, Ora-
tionem hanc de Origine vrbis Rostochij, & de
alijs

alij beneficijs, quibus à Deo honestata est, conscripti, historiæ leges secutus, quæ in huiusmodi descriptionibus & veram laudem detrahere, & falsam affingere uetant. Hanc spero bonis non ingratis fore, propter veterum rerum historiam, quærum cognitio bonis mentibus grata & iucunda esse solet.

Adiunxi etiam aliam orationem Græcè à me scriptam, de ~~aut~~gratia, quæ septimi Praecepti Decalogi virtus est, & docet unumquemque debere præfenti fortuna & conditione contentum esse, & incommoda, quæ suo cuique loco & tempore Deus imponit, moderatè & patienter ferre, præsertim, si sine scelere & aliorum iniuria & fraude, non possit nobis amplior fortuna contingere.


Hanc specimen esse uolui, non solum sedulitatis meæ in hoc munere docendi, sed etiam amoris erga Græcam linguam, cuius cognitio ad intelligendam doctrinam Filij Dei & Apostolorum, quæ Græcis fontibus continetur: ad historiam vetrem: ad omnes Philosophiæ partes, & omne Doctrinarum genus, prorsus necessaria est.

Has igitur duas orationes, Clarissimi viri, vobis exhibeo, ac reuerenter peto, ut eas, tanquam certissimum mei erga hanc Rempublicam & Ecclesiam amoris & studij ~~πραγμάτων~~ beneuole suscipiatis.

B. ij Filium

Filium Dei, custodem urbium, quæ Ecclesiæ
ipsius hospitium præbent, oro, ut hanc Rempubli-
cam defendat, & incolumem ac florentem conser-
uet. Bene & fœliciter valete. Rostochij, ex Mu-
sæo Portæ cœli, Anno Domini 1560. die 25.
Martij. Quo die ante annos 1561. Filius Dei
Dominus noster Iesus Christus ex Maria virgine
Naturam humanam assumpsit, & post annos 34.
pro genere humano semetipsum victimam Deo
Patri in ara Crucis obtulit. Quo die etiam ante
annos 5522. Adam lapsus, & edita pro-
missione, de semine contrituro
caput Serpentis, à Filio Dei
receptus esse scribi-
tur.

DE IN-



DE INCLYTA VRBE ROSTO- CHIO.



Vcer Dei sapientia & bonitas singularis, cum in toto hoc pulcherrimo generis humani domicilio, tum præcipue in ciuili hominum societate, quam mirandis legum, gubernationis, contractuum, generationis, educationis, & similium officiorum uinculis Deus in ciuitates congregauit & deuinxit, eam præcipue ob causam, ut in cœtu & magna hominum frequentia alij ab alijs de Deo, & redemptore nostro Iesu Christo doceri, & gloria Dei late spargi possit & illustrari. Etsi igitur grauissimè Plato inquir, Deum, ut societas hominum coniunctioꝝ seruetur, missis in cœtus urbium pudorem & iusticiam, ut sint ciuitatum ornamenta & uincula, & cœtes benevolentia mutua consilent: tamen certum est multò maiora Dei dona, & illustriora urbium decora esse ueri Dei noticiam, & lucem ueræ de Deo doctrinæ in Ecclesia sonantis, & Scholas pierate & artibus floentes, quas omnes sapientes iudicant Ecclesiæ & Reipub: seminaria esse.

Magnum decus fuit Romanæ urbis, quod una in omnibus terris domus fuit Imperij, uirtutis, dignitatis. Summa gloria ciuitatis Atticæ, quod non modo Græcæ uniuersæ principatum multos annos tenuit: uerum etiam ingenij & literarum ac sapientiae studio, omnibus cæteris antecelluit. Qua de causa etiam Ελλασθαι τωιδονοι ε Thucydide nominatur. Sed multò maior est harum B iiij urbium

urbium dignitas & amplitudo , quæ Ecclesiæ Dei , &
Euangelio Christi, studijs doctrinæ cœlestis & omnium
bonarum artium hospicia tranquilla præbent. Ut in lit-
tore Phœnicio, et si opibus & potentia longè cæteris ur-
bibus Sydon & Tyrus antecellebant, tamen multò fœli-
cior Sareptæ conditio fuit, quæ Heliām & alios doctri-
næ Propheticæ discipulos amanter souit.

Vult autem Deus sua dona à nobis agnoscî, & non
solum honorifica opinione, & tacitis animorum iudicijis,
uerum etiam sermone, encomijs, & literarum monumen-
tis celebrari. Ideoq; in nostras mentes suæ lucis, sapien-
tiae, iusticie, & cæterarum uitatum radios sparsit, & pre-
terea linguae beneficium nobis dedit, ut ipsum omnis bo-
ni fontem, grata mente & uoce profiteamur, & dona am-
plissima, quæ & communī hominum societati & singu-
lis priuatim tribuit, reuerenter prædicemus.

Cum igitur & hæc urbs Rostochium, summis illis
Dei donis ornata sit, & ego in hac urbe primum ad ueræ
doctrinæ à Deo traditæ cognitionem, piorum & doc-
torum hominum interpretatione deductus sim: intelligo
uicissim me & Deo omnium honestarum urbium &
Scholarum Rectori supremo, & huic Reipub: & Aca-
demiae, in qua multos annos uixi πολλὰ διδακτούμενος (ut
Solonis uerbo utar) omnia pietatis & animi grati officia
debere. Vtinam uero illustri aliquo officij genere pos-
sim meam reuerentiam & gratitudinem huic urbi decla-
rare. Sed dum aliæ occasionses desunt, breui oratione
hanc regionis Megapolensis Metropolin celebrandam,
& Deo ac hominum piorum precibus commendandam
existimauit. De quo genere officij me ipsum etiam tem-
pus commonefacit. Ut enim Romæ, centesimo quoque
urbis

urbis anno Ludos Seculares religiosa antiquitas faciebat, non inanum spectaculorum causa, uerum ut Deo gratias agerent, quod urbem & Rempub: tot annos conservasset, & p̄ijs uotis salutem urbis & imperij Romani, in fidem & patrocínium Dei locarent: ita multò magis nos in Ecclesia Dei decet grata mente & p̄ijs precibus defensionem & salutem urbium, in quibus uiuimus, Deo acceptam referre.

Agitur autem nunc quadrängentesimus ab hac urbe condita annus.

Quare initio meæ orationis Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, qui ex hac hominum societate tinculis politicis colligata, æternam sibi hæreditatem excerptit, toto pectore gratias ago, quod hanc urbem iam integras 400. annos seruauit incolumem, & non opibus modo & ædificijs, & omnium rerum, quæ ad uitæ communis necessitatem & ornatum pertinent, copia, uerum etiam legibus, iudicijs, honesta disciplina, ac quod summum est, uera religione, doctrina Christi, & liberalibus studijs florentem. Et oro Deum ardentibus uotis, ut hæc summa ornamenta ad posteritatem tueatur, & deinceps quoque hanc urbem defendat & gubernet. Verissimum est enim, quod sapientissimus gubernator Salomon inquit, Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam.

Faustissimum autem huius urbis Rostochij principium in ea ipsa tempora singulari fœlicitate incidit, quibus uera religio de filio Dei, & æterna hominum salute doctrina, in hoc littore Baltico primum radices agere & florere coepit.

Condita est enim à Pribislao, Henetorum rege ultimo, qui ex nobilissima & antiquissima stirpe Anthyrj illius Magni prognatus, & religionis ac libertatis à maioribus

foribus acceptæ propugnator pertinax, tandem Frideric
i Barbarossæ temporibus, ab Henrico Leone duce Sa
xonie & Bauariæ, & à Vualdemanø Daniæ rege, ad fi
dem Christo dandam adductus est.

Etsi enim ante annos ducentos quoq; Euangelijs se
mina in hac ditione sparsa erant, tamen adeo præfracte
Idolomanias patrias defendit populus, ut aliquoties lu
cem doctrinæ accensam repente extinxerit. Primus
enim Otto Magnus Imp. in Vuagriæ metropoli Alde
burga (quæ regum Vandalicorum ditione tum teneba
tur) Ecclesiæ Christianæ Episcopum constituit Marcum:
Cum paulò ante Heraldum VI. eiusq; filium Suenot
tonem Daniæ reges (qui doctrinam Christi ante annos
centum à S. Ausgario in Dania passim seminatam, rur
sus abiecerant) ad religionem Christianam reduxisset:
& per Adalgagum Hamburgensis Ecclesiæ Archiepis
copum, qui Cancellarij munere apud ipsum fungebatur,
Episcopos etiam Danicis Ecclesijs p̄fecisset, Slesvicensi
Heroldum, Ripensi Liasdagum, Arusensi Rembrans
dum, &c.

Deinde in hac Megapolensi ditione, Godscalcus, qui
sua uirtute & fortitudine, Danorum regi Canuto, Mag
ni cognomen peperit, eiq; Angliam, Scotiam, Noruuic
giam & Gallia partem subiecit: reuersus in patriam,
populares suos ad Christi doctrinam reuocauit. Et au
thoritate Alberti Hamburgensis Archiepiscopi, in urbe
Megapoli sedem gubernationis Ecclesiarum in hac Van
dalica parte constituit, collocato in ea primo Episcopo
Iohanne Scoto, qui sexennio post, à Vandalis religio
nem Christi denuo abiicientibus, crudeli supplicio ad
fectus est. Et paulò post ipse Godscalcus, qui se uera pie
tate suo nomini respondere, & fidum Dei ministri um esse
semper

Semper ostenderat, Leontij trucidatus est. Hic Godscalcus, ut id obiter inseram, nepos fuit Misteuoj, à quo Theodoricum Marchionem Brandenburgensem tota distinctione expulsum esse, doctissimus uir Georgius Sabinus in Oratione de uita Theodorici scribit.

Postea etiam Canutus, Erici V. Danorum regis frater, qui duos Godscalcij nepotes ceperat, & beneficio Lotharij Imp. coronam & titulum Regni Obetritarum adeptus fuerat, restaurare Ecclesias conabatur. Sed alio quanto post à Magno patruеле suo, ob' qualescunq; suspitiones, ex insidijs cæsus, & postea in Diuorum numerum relatus est.

Huius itaq; Canuti filius Vualdemarus, cui à magnitudine rerum præcipue aduersus Vandaloſ gestarum, Magni nomen attributum est: & Henricus Leo dux Saxonie & Bauariae, cuius auxilijs maximæ res Friderici Barbarossa confectæ sunt: Pribislaum Godscalci pronepotem, terra mariq; oppugnatum, magna ditionis parte adempta, ad ueri Dei cultum & religionem Christi constanter amplectendam adduxerunt.

Facta autem pace & födere cum Rege & Henrico Leone confirmato: Pribislaus tum alijs rebus, tum uero præcipue Templorum & urbium ædificijs exornare suam ditionem, adsiduis armorum bellis uastatam, instiuit. Itaq; anno nativitatis Christi 1160. hanc urbem Rostochium quoq; excitare, & ciuium ac incolarum coetus, non muro tantum & fossa munire coepit, uerum etiam Christiana religione, honestis legibus, ac custodibus legum Magistratis, Sanctoq; Senatu ciuitatem perfecit.

Sunt autem non longis temporum interuallis extuctæ in hac Baltici littoris ora præcipua urbes, quæ

C

nunc

nunc splendore, potentia & opibus antecellunt. Nam in clyta urbs Lubeca, quæ amplitudine, & descriptione & difficultatum, & alijs ornamentis respondet nomini suo, quod à pulchritudine & amoenitate scribitur accepisse, uicesimo ante Rostochij initium anno primum condita est. Sundium uero in extrema ora freti, quod Rugiam à reliqua Germania dirimit, annis quinquaginta post Rostochij exordium, extructum esse, & tricesimo post anno, Viximaria, ex ruinis uetus & amplæ urbis Megas poleos, aucta & amplificata esse putatur.

Nomen autem huic urbi Rostochio à fragrantibus rosis inditum est, quod etiam contiguum mœnibus ciuitatis pratum amoenissimum, septem illis celeribus tilijs illustre conseruat, quem uulgo rosarum paradisum nominant. Alij, ut laudatissimæ urbis Massyliae Graecum nomen, à pescatoria naue & portus commoditate ortum est; ita hanc urbem Rostochium dictam esse putant à columna rubeis insignibus notata, ad quam pescatores, qui propter fluminis & propinquui maris libertatem in uicinia habitabant, usitato more soliti sint conuenire. Alij etiam agrestiores uocabuli interpretationes communiscentur, quas uolens relinquo.

Maxime enim delector pulcherrimo ROSAE nomine, quod huic ciuitati cum Susis, quæ florentissima res gum Persicorum metropolis, & Prophetæ Danielis hospitium aliquantis per fuit, commune est. Et ardentibus uotis opto, ut haec urbs uerè sit, semperq; maneat Susa seu Rosa, odorem Deo gratum & Ecclesiæ salutarem spirans, confessione ueræ Euangeliæ doctrinæ, & fouensis literarum studijs, & ueræ pietatis ac omnium uirtutum exercitij, quibus mirifice delectatur Deus, perinde ut nos

ut nos fragrantī odore rosæ aut uiolæ suauissimē recreas-
mur. Hæc enim ornamenta ciuitatum multò pulchriora
sunt, quam amœnitas situs, mœniorum ac domuum
splendor, portus commoditas, munitiones, arma, opes
&c. quæ uulgus sola magnificare & admirari solet. De
quibus mihi quoque pauca dicendi necessitatem imponit
usitata in laudationibus urbium instituendis consuetu-
do.

Vt autem situs Rostochij certius agnoscí etiam ab
exteris possit, adscribo longitudinem, quæ est graduum
triginta. Et latitudinem, qua ab æquinoctiali abest, gra-
dus quatuor & quinquaginta.

Vrbs ipsa Επερουηκus est, collocata ad Vuarnouij ri-
pam, qui prope oppidum huius ditionis Parchim (in quo
me nasci Deus & Ecclesiæ suæ inseri uoluit) scaturiens,
celebrum in hac regione locorum Sternebergæ ac
Butzouïæ mœnia alluit, ac ad hanc urbem Rostochium
defluens, priusquam ad mœnia allabatur, circiter triginta
molas circumagit, quæ longo ordine aggeri à mœniis
urbis uersus ortum brumalem deducto, impositæ
sunt.

Inde in duo brachia diuisus, ubi partem urbis, quæ
antiqua nominatur, circumfudit: denuo coit, ac reflexo
cursu ab ortu uersus occasum longo tractu mœnia reli-
quæ urbis præterlabitur, & tutam nauibus onerarijs sta-
tionem præbet. Paulo infra urbem, ubi ad monasterium,
cui à D. Mariæ coniugio nomen inditum est, & ad col-
leum, qui κωστιγον appellatur, peruenit: rectâ uersus
boream in mare Balticum influit, duobus ostijs, quæ in-
sulam medium amplectuntur. Ac in sinistra ostij ripa,
quod nauibus ex Oceano aditum patefacit, oppidum si-
tum situm est, quod à fluminis ostio nomen habet, & ab
urbe duo millaria abest, tanto ferè interuallo, quanto

C ij Piraus,

Piræus, quem Themistoclis consilio Attica ciuitas portum elegit, ab urbe Athenarum se iungebatur.

Arcem, quæ ad ostium Vuarnouj posita erat, ciues ante annos ducentos & trigesima septem, assentiente Henrico Megapolensium Domino, funditus euerterunt, ac solo æquarunt, metuentes forte, quod Epimenides olim Atheniensibus de Munichia prædixit, eos suis dentibus munitionem illam discepturos esse, si scirent quantas ea calamitates ciuitati Atticæ esset allatura.

Sed his relictis ad situm urbis redeo, quæ uelut ~~in~~ in tres partes distincta est. Harum prima, quam antiquam urbem incolæ nominant, in colle editiore, qui orientem Solem spectat, sita est, insignis tribus Templis & domo Iurisconsultorum, quæ primæ urbis curia olim fuisse perhibetur. Hanc à media urbe dirimit brachiumij Vuarnou, quod uelut in ualle manans inter duos celsiores colles utramq; urbis partem alluit. Splendidissima autem hæc media urbis regio est, quæ & Tempulum præcipuum & curiam, ubi Senatus, qui est ~~pro~~ πόλεως, deliberationes & iudicia exerceat, & florem ciuium, & frequentissima ac pulcherrima ædificia continet. Reliqua pars urbis ad occasum, sedes est Academia, quæ decem distinctas domos in ea possidet, & collegio Ecclesiæ ad D. Jacobum, & tribus alijs Templis, quæ Spiritui Sancto, D. Michaeli, & S. Crucis dicata sunt, exornatur.

Duo autem colles, quibus D. Petri & D. Virginis templa sunt imposita, de urbis Ierosolymæ situ me commonefaciunt, in qua duos etiam editiores montes fuisse legimus, quorum alter, quem MORIA à uero Dei cultu Ebræi nominant, in media urbe insignis erat templo Salomonis: alter arcem SION, quæ domicilium Davidis fuit, sibi inebat.

Eximiam

Existimam autem fuisse veterum huius urbis Rostochij incolarum virtutem & industriam, non modo ex amplitudine urbis, & ædificiorum splendore æstimari potest, uerum multò magis ex ordine politiæ & libertate, ac príuilegijs amplissimis, quæ sua fide, industria & labore, ab Illustrissimis Dominis & principibus suis promeruerunt.

Primus hanc urbem immunitate uectigalium & Iuris Lubecensis beneficio donauit filius Pribislai Bureuuinus, anno ab urbe condita 58.

Huius ex filio Henrico (qui collegium Ecclesiæ Gustrouiensis anno Christi 1226. instituit) nepotes quatuor fuerunt: Iohannes, quem Theologum nominant, Nicolaus, Bureuuinus, & Pribislaus. Hi cum ditionem à maioribus acceptam in quatuor partes distribuissent, Bureuuinus, cui Rostochianam regionem sors gubernandam dederat, tum alijs beneficijs hanc urbem auxit, tum uero duo oppida, Vuarnouij brachio, & Magistris ac iudicis anteā dissuncta, in unum Reipub: corpus coagmentauit, anno à condita urbe centesimo: cum quadriennio ante pio studio ac zelo iuuandæ propagationis doctrinæ Christianæ, Cænobium D. Iohanni sacrum condidisset.

Sequutus est Bureuuinum filius Vualdemarus, qui & fluminis totius liberum usum, & arces, quas in utræ ripa non procul ab urbe habebat, ciuitati concessit.

Summa autem hanc urbem beneficentia complexus est Henricus Leo, Iohannis Theologi nepos. Cum enim Nicolotus Vualdemari filius sua in sponsalibus facievis ac distrahitidis leuitate Marchionem irritasset: diffisus suis viribus se ac ciuitatem Erico IX. Daniæ Regi dedidit: Quam anno Christi 1322 Henricus Leo certis

C iiiij coiv

conditionibus à Christophoro Erici fratre & in regno
successore recepit, Et tum alia priuilegia, tum uero po-
testatem monetæ cuendæ, & munitionis ad ostium
Vuarnouij diruendæ, permisit.

Filius uero Henrici Albertus, qui primus in hac fa-
milia Ducis dignitatem à Carolo IIII. Imp. adeptus est,
Iurisdictionem quoq; Senatui concessit, anno ab urbe
condita 200.

Cum autem constet tanta beneficia ac priuilegia non
nisi bene meritis solere à principibus deferri, non dubium
est Maiores nostros eximijs ac illustribus officijs suam
fidem & industriam Illustrissimis principibus probasse,
Quam ut deinceps quoque seruent nostri ciues, & debi-
ta Deo ac principibus grati animi officia reuerenter
præstent, & in tuenda iustis rationibus libertate à maio-
ribus accepta constantes sint, toto pectore opto. Non
enim dubito quin rectè agentibus adiutor & uindex
Deus adfuturus sit.

Dixi hactenus de Origine & incrementis inclytæ
huius urbis Rostochij, ea, quæ in scriptoribus & monu-
mentis fide dignis maxime ἀξιόλογα inueni: Nunc de
præcipuis ornamentis & donis, quibus hanc ciuita-
tem Deus præ multis alijs honestauit, oratio instituenda
est. Etsi enim magna etiam Dei dona sunt, quorum ha-
c tenus mentio facta est, Magnitudo urbis, ædificiorum
splendor, fluminis & portus oportunitas, libertas, & pri-
uilegia amplissima: tamen multò ilustriora ciuitatum
decora sunt, Ecclesia, literarum studia, honesta ciuium
disciplina, leges, iudicia &c. quæ εἰμια τόπων, hoc est,
fulcra ciuitatum sapientissimè Plato nominauit.

Primum autem de Academia dicemus, quæ præci-
puum & nobilissimum huius urbis ornamentum &
hoc est,

Nō est. Hanc Martinus V. in Synodo Constantiensis
Pontifex creatus, erexit & confirmauit.

Et anno Christi 1419. die duodecimo Nouembris,
lectiones primum inchoatæ sunt à Professoribus, qui ex
Erphordiensis Academia uelut Metropoli fuerant ad-
ducti.

Etsi autem post paucos annos ortis in hac urbe tu-
multibus, Professores, iussu consilij Basiliensis, Gryphis-
uualdiam secesserunt, quæ migratio Gryphisuvaldensis
Scholæ exordium fuit: tamen paulò post uidelicet anno
Christi 1443. sedatis motibus in hanc urbem reuersi sunt.
Et deinceps continua serie Doctores eruditione, dili-
gentia, & fide præstantes, omnium bonarum artium stu-
dia, ut illa ætas ferebat, ad nostra usq; tempora propaga-
runt. Quæ cum admirabili Dei beneficio, præ superio-
ribus seculis clara & illustri doctrina Euangelij, & om-
nium artium & linguarum luce donata sint, hæc quoque
Academia nunc multis ingenio, doctrina, uirtute præ-
stantibus uiris ornata est, qui ex inclita illa uerae Ecclesie
& totius Philosophiae Metropoli Vuitebergensi in
hanc Scholam uelut Coloniam dediti sunt: qui sua fide
diligentia ueram de Deo doctrinam, & artes ac linguis,
quæ Ecclesiæ Dei & communi hominum uitæ summo-
usui & ornamento sunt, late propagant.

Leguntur assiduè & enarrantur in hac Schola libri
Apostolorum & Prophetarum, quos uelut præciosissi-
mum thesaurum Deus generi humano tradidit, eosq; le-
gi, audiri, disci, & explicari seuerissime præcepit: imo
eam ob causam præcipue seruat ciuilem hominum socie-
tatem, ut iuxta doctrinam libris illis comprehensam,
multi ipsum conditorem recte agnoscant, ueris officijs
colant, & salutis æternæ hæredes fiant. Repetitur etiam
assidue

assiduè summa totius doctrinæ Christianæ erudita me-
thodo compræhensæ in Locis clarissimi uiri, & de tota
Ecclesia & omnium piorum studijs benè meriti, D. Phis-
lippi Melanthonis.

Cumq[ue] linguarum, cognitio ad intelligendos fontes
scriptorum Diuinorum, & postea etiam ad Historiam
Ecclesiæ & veterum Imperiorum, & præcipuos omni-
um artium scriptores recte percipiendos necessaria sit;
docentur in hac Academia fideliter & assiduè Lingua
latina, Græca & Ebræa: & adiunguntur præcipua Ci-
ceronis scripta, Poëtae Latini & Græci, Homerus, He-
siodus, Herodotus, Libelli ex Plutarchi Moralibus se-
lecti, & Psalmi Davidis, ut præcepta linguarum exem-
plis illustrentur.

Sunt apud nos etiam Iuris ac Legum ciuilium Dos-
tores, non modo excellenter eruditæ, uerum etiam
amantes iusticiæ, & usu rerum ac sapientia præstantes,
qui sua authoritate & sententijs consilia Principum, &
Iudicia, quæ nerui atq[ue] artus Reipub: sunt, & omnes re-
liquas Reipub: partes gubernant.

Excitarunt etiam in hac Schola artis Medicæ stu-
dia, tum aliij quidam uiri eruditissimi, tum uero Ianus
Cornarius, & proximis annis D. Iacobus Bordingus,
uir non modo peritia & usu artis, & in medendo fide ac
fœlicitate eximia, uerum etiam in omnibus philosophiæ
partibus, ex tota Ecclesiæ doctrina, & tribus linguis ex-
cellenti eruditione, & singulari pietate, constantia, can-
dore, & fide πλειστων ἀνταξιού ἔλλων: Quem ut Apelles
Venerem inchoatam reliquit, ita præclarè à se suscep-
& magna cum laude etiam proiectam huius Scholæ in-
staurationem, Deo ipsum ad optimi & florentissimi Re-
gis familiaritatem uocante, reliquisse, nostra & Scholæ
causa dolemus. Nunc artem Medicam & cæteras Phis-
iophilosophiæ

Ioſophiæ partes omnes ac linguaſ, Latinam, Græcam,
& Ebræam aſſidue & fideliter tradunt uiri docti & di-
ligentes: Qui & disciplinam & mores auditorum pa-
terna autoritate & fide iuxta normam uerbi Dei & ho-
nestarum legum gubernant.

Sapienti autem maiorum noſtrorum conſilio certæ
domus Academiæ ſunt attributæ, & iſtituta octo col-
legia, ex quibus quod templo D. Iacobi proximum eſt,
PORTA COELI olim dicta fuit, aliud ab aquila, aliud
a Sancto Olaø, alia aliunde nomina diſtincta accepe-
runt. Præter hæc peculiare collegium eſt, quod in altera
urbis regione Iurisconsultis deſtinatum, ſexcentis ferè
paſſibus à reliqua Scholæ domibus diſiungitur. In hiſce
collegijs maiores noſtri omnes ſtudioſos, qui per æta-
tem & iudicij inopiam iſpi regere ſua ſtudia & mores
non poſſent, habitare: & præceptorum, qui ſingulis do-
mibus præfecti eſſent, doctrina iſtitui, & authoritate
regi ac in officio contineri, & nocturno præſertim tem-
pore domi cohiberi, uoluerunt. Veriſſimum eſt enim
quod Menander ait, Νέος γρώματος μεν, εφόντη δύναμι,
cum iuuenis eſſem uidebar mihi præclarè ſapere, ſed ni-
hil ſapiebam. Ita nunc pleriq; iuuenes puerili quadam
& ſtulta ſubnixi arrogantia, & inani libertatis nomine
inflati, pulcherrimum ducunt, temere in ſtudijs ut libet,
& ſine certo ordine uagari, defugere omnia præcepto-
rum colloquia, & examina, nullius ſe ſubiçtere cenzuræ,
nullius parere authoritatí, nullos pati disciplinæ frenos,
omnibus proluere ſe impuris uoluptatibus. Verum hi
paulò poſt hanc ſtolidam animi elationem & licentiam
ſuī ſtudijs, famæ, & ſæpe etiam corporum incolumitatí
certum exitium adferentem, deplorabunt. Alij uero, qui
ſpretis uoluptatibus & ocio inerti ordinem diſcendi a
præceptoribus propositum ſedulo ſequentur, & ſuam in
D ſtudijs

studijis assiduitatem, in morib; modestiam, & in omni officio diligentiam præceptoribus probabunt, fructus paulò post percipient doctrinæ & uirtutis amplissimos, ut eleganter & uerè à Musonio dictum est. Ἐπὶ τοιάχεν καλόρ μετὰ πόνων, οὐ μηδὲν θέλειν, τὸ δὲ καλόρ μένει. Ἐπὶ τοιάχεν δικηρόν μετὰ κόμοντος, οὐ μετὰ τίδεν θέλειν, τὸ δὲ δικηρόν μένει.

